

Disputatio inauguralis medica de doloribus post partum ... / [Christian Friedrich Gerber].

Contributors

Gerber, Christian Friedrich, active 1682-1683.
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Krebsianis, [1683]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dk24djud>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

2. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

D E

DOLORIBUS POST PARTUM,

Quam,

JUSSU ET AUTHORITATE

Illustris & Gratosissima Facultatis Me-
dicæ in Academia Jenensi,

P R Æ S I D E

AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO,

Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botan.

Prof. Publ. Archiatro Ducali Saxonico,

p. t. Decano,

Patrono, Præceptore ac Promotore maximè venerando,

P R O L I C E N T I A

Summos in Medicâ Arte Honores, Insignia & Privilegia Do-
ctoralia more consveto legitimè & ritè impetrandi

Publico Eruditorum Examini placidèq; disquisitioni submittit

CHRISTIANUS FRIDERICUS GERBERUS,

ZITTA-LUSATUS,

In Auditorio Majori

horis ante- & pomeridianis

ad d. 3. Decembr. A. S. R. c10 10c LXXXIII.

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

17

COLLEGE OF THE HOLY TRINITY

Memphis, Tennessee

THE UNIVERSITY OF THE SOUTH

Memphis, Tennessee

THE UNIVERSITY OF THE SOUTH

Memphis, Tennessee

THE UNIVERSITY OF THE SOUTH

Memphis, Tennessee

THE UNIVERSITY OF THE SOUTH

I. N. J.

PRÆFAMEN.

MAgnum humanæ generationis opus esse satis constat iis, quibus frequentior legis divinæ curæ est revolutio. Videmus etenim summum totius hujus universitatis opificem & effectorem, postquam totam orbis machinam & quæ illius ambitus continet, singulari suâ ac infinitâ prudentiâ & omnipotentiâ ex nihilo creaverat, Adamo in consortium adjunxisse Evam, addito mandato, ut crescant, multiplicentur, & terram, quæ jam dum adhuc inculta & inanis erat, replerent. Quis inde operis hujus Autorem non prædicet & laudet? quis summam generationis humanæ dignitatem non agnoscat?

Ex Medicæ artis restauratoribus hanc in rem varia accommodanda occurrerent, quibus tamen cum studiò supersedere placeat, solummodò Galenum, qui tanquam alter Medicinæ parens laudandus est, adducemus, cum de generatione humanâ agens, *lib. de semine cap. V.* eleganter eandem prædicet μέγιστον πάντων τῶν τῆς φύσεως ἔργων. i. e. *opus omnium naturalium maximum.* Tacemus alios, qui præclari-
tatem generationis humanæ describentes, eandem cum Platone πρᾶγμα θεῖον, *rem divinam*, laudant. Plutarchus libro de amore prolis scribit ex Erasistrato: *Elucet in omnibus rebus naturalibus accurata artificiosaq; natura, seu potius creato-*

*ris diligentia, & nullâ oratione satis explicari potest, quâ industriâ perfecerit ea, quæ ad humani generis propagationem at-
tinent. Cùm vero hâc vice non de præclaritate & excellen-
tiâ humanæ γενέσεως, neque de partu ipso agere, sed in
dissertatione hâc nostrâ Inaugurali dolores saltim post
partum oborientes sistere animus sit; ideò ad eorundem
explicationem missis aliis ambagibus nos vertimus. Adsi-
stat Numen Divinum suâ gratiâ ac benedictione nostris la-
boribus, eosque ad sui gloriam feliciter secundet.*

§. I.

Blanda omnium rerum mater natura, non solum-
modò eorum, quæ ad individui esse, seu quæ ad
nutritionem & augmentationem corporum perti-
nent, curam habet, sed quoque de speciei propa-
gatione maximè est sollicita. Hunc in finem u-
trique sexui apta ad generationem faciendam concessit orga-
na, de quibus vid. *B. Rolfincius O. & M. de partibus generationi dica-
tis, Diemerbr. & Bartholin. Anat. Plazzonus de part. generat. dicatis,
& alii.*

§. II.

Generationem fieri novimus à maris & fœminæ com-
mixtione; hæc si fœcunda, ingravidatio subsequitur. Quampri-
mum enim seminis portio ad uteri devolvitur cavernam, fer-
mentum seu contagium seminis virilis, antea filiquâ quasi
obvolutum, jam sui redditur juris, ἐνέγγεια, que explicare au-
det; quo factò uterus cum vasis suis alteratur, & natura de iis,
quæ maximè sunt necessaria, diligenter prospicit. Hinc san-
guis statim non solum qui circa uterum in vasis præsens est,
sed & tota MSea peculiare sentit & vividum velut fermentum,
prout *Willis. de Fermentatione p. 19.* eleganter scribit. Præparan-
tur porro & ampliantur viæ pro ovuli imprægnati in uteri ca-
vitate demissione, ubi postea calore tam partium, & uteri
ipsius, quàm affluentis sanguinis blandè fovetur, ut indies ma-
jus

jus sumat incrementum. Uterus enim, domus illa, juxta *Helmont. tr. Magnum oportet §. 50.* vacua à peregrino jam obfessa ulterius ampliari incipit, usque dum in utero materno satis nutritò & ad justam perfectionem deducto fœtu, idem sibi exitum parare intendat, & tùm ob loci angustiam, tùm ob alimenti defectum, tùm ob calidi innati abundantiam, quod vult *Rod. à Castro de natura Mulierum lib. 4. cap. 1.* pomi adinstar maturi ab arbore decidat.

§. III.

In tali exclusionis actu vel sexcenta se sistunt phænomena, variæque accenduntur dolorum faces. Dùm vel lumbos vexat dolor, venter tormina experitur, ossium pelvis, si non solvitur, ut se observasse scribit *Hild. cent. 6. obs. 39. p. 546. Idem Oper. p. 992. Helmont. Tract. Jus duum viratus p. 294. §. 46.* moverur tamen ipsius compages, imò tota machina humana labem pati videtur, ut interdum puerperæ statum graviolem expertæ, exanimes velut jaceant & semimortuæ, id quod, dolor! quotidiana testatur experientia. Ne dicamus, plures morte ipsâ succumbere. Distinguuntur autem dolores circa partum, vel in dolores ante partum, qui nihil aliud sunt, quàm signa egressuri fœtus; vel in dolores partum ipsum comitantes, seu in ipso actu evenientes, qui adscribendi tùm utero, tùm fœtui, siquidem fœtus exitum sollicitat, uterus verò calcitrantem fœtum eliminare nititur, Germanis dicuntur *rechte Wehen*; ad differentiam vagorum *wilde Wehen*/ quorum effectus nullus, sed majus puerperæ minantur periculum, dum vires partim uteri, facultatis nempe expultricis, partim puerperæ enervare solent; vel in dolores post partum, de quibus jam noster erit sermo.

§. IV.

Varias hi' fortiuntur denominationes; quibusdam enim dicuntur generali nomine *dolores uterini, tormina*; quibusdam *dolores post partum*. *Harveus* eosdem *posteros enixus* vocat. Aliis placet *continuatos partus dolores* appellitare. Germani expriment *die Nachwehen*. Ut verò propius ad rem accedamus,

mittentes appellationes varias, definimus dolores post partum, quod sint tristes sensatio cum conatu ex utero egerendi difficili, à sanguine in & circa uterum stagnante, grumescente, & acrimoniam variò modò contrahente, & facultatem expultricem stimulante, dependens. Ponimus tanquàm genus, tristem sensationem, quæ est partium membranosarum tensio & vellicatio à variâ dependens caufarum syndrome, quarum satis longus in subsequen- tibus tradetur catalogus.

Cum verò tristes sensatio omni competat dolori, addimus loco differentiaæ specificæ *difficilem ex utero egerendi conatum*. Difficilis dicitur conatus, quatenus materia nimis rebellis fixior hæret circa uterum, natura verò eandem ejicere & molestantem relegare quærit, undè pugna invicem excitatur, naturaque victrici satis manu, hostem exturbat & propellit; Ut autem ejusmodi conatus difficilis aliis quoque competere uterinis affectibus, & præprimis partui difficili videtur similis, attamen sciendum, partum difficilem non ab alia provenire causa, quàm positu fœtus inordinato & vitioso, quales positus memorat & æneis tabulis illustrat *Welschius* in *Hebammen-Buch/ & Franc. Mauriceau* der *Schwangern und Kreissenden* allerbeste *Hülfe*/ qui non aliter nisi reductione ad statum magis naturalem corrigi potest; si verò fiat à causâ aliâ, rectè tamen se habente fœtu, non propriè partus difficilis, sed *dysotia* naturalis partim à labefactatâ uteri facultate expultrice, partim à pelvis obstaculo oriunda, meritò dicenda. Dolores verò hi jam descripti non à fœtu, sed iisdem, quæ fœtum subsequuntur, speciatim lochiis moram nectentibus, dependent & incrementum sumunt.

§. V.

Subiectum principale ipsum accusamus uterum. Qui cum substantiâ gaudeat merè membranosâ & nervosâ, haud difficile est, ut à quocunque lædatur. Videmus enim etiam sva- veolentibus lædi, uti de rosis refert *Langius* *Miscell. curios.* p. 44. quidni potius ab injuriâ tum externâ, tum internâ affici poterit? Laborat enim hîc uterus essentialiter, de cujus tamen substan-

stantia, situ & figurâ cum plurima extent Anatomicorum scripta, hîc dicere supersedebimus, lectoremque benevolum ad eadem remittimus.

Pertinet hûc meritô quæstio: *An* conatus in partu utero sint proprii; *an* verò fœtui adscribendi; *an* tandem fœtui & utero simul? *Roder. à Castro. de nat. mul. lib. 4. cap. 1. p. 170.* ait: Partûs actio est partim uteri, partim verò ipsius fœtûs; uteri quidem, quoniam ille offensus gravitate adaucti fœtûs & excrementorum redundantia propriâ vi expultrice fœtum in lucem ejicit; Fœtûs verò, tum quòd auctior satis alimentum à matre non accipit, tum quòd plus calidi nativi jam habens, magis refrigerari postulat. *Helmont. Tr. de conceptis. §. 17. p. 573.* contrarius esse videtur, dum scribit: Defunctâ parturiente uterum post multas quandoque horas fœtum expellere, sicque soli utero, potestatem fœtum egerendi adscribit, quod tamen minùs videtur probabile. Cur enim fœtus mortuus tam difficili conamine excluditur, ut sæpè armatâ manu excindi debeat, si uteri soliùs operâ fœtus excutitur? Deinde si mortuâ puerperâ fœtus exit, non tam fit uteri, quàm potius fœtûs viventis & matris obitum sentientis conatu, cujus tamen exempla rariora prostant, & ut plurimum Anatomici seu Medici, rebus sic stantibus, requiratur manus, & partûs cæsarei administratio. Patet igitur uterum & fœtum esse tanquam causas socias, quæ pro unâ stare solent, sicque altera absque altera scopum non attingere potest.

Subjctum verò adequatam seu secundarium non abs re statuimus partes utero vicinas ipsiq; adjacentes, ligamenta lata & rotunda; imò & alias abdominis partes, quæ in consensum facile, affecto essentialiter utero, trahuntur. Videmus enim puerperas nausæâ, vomitu, flatibus, alvi depositione aliisque vexari symptomatibus, nulla alia ex causâ, quàm nervorum paris sexti propagine.

§. VI.

Inter causas primum locum sibi vendicat *Causa immediata*, estque stimulus ille facultatis expultricis, à lochiis vitiatis depen-

pendens, unde conatus egerendi in utero redditur difficilis. Cum verò hæc vario modo respectu caufarum mediatarum tum proximiorum, tum remotiorum produci possit, ideò ad earundem pergimus explicationem.

§. VII.

Cause mediate proximiores licet sexcentæ à diverso puerperæ statu, inque partûs actu justâ vel injustâ obstetricis administratione accidere possint, attamen nonnullas saltem, de quibus maximè constat, sæpiusque occurrunt, pertractabimus. Inter quas quasi hostile agmen ducit *sanguinis seu Lochiorum retentio, stagnatio, grumescencia & acrimonia contracta*. Sanguis enim, uti in statu naturali, ubi blanda particularum tum Arrearum, tum serosarum est harmonia, motuque gaudet ordinario, ad totius corporis humani non tantum conservationem, sed & nutritionem facit; siquidem sero & sanguine nutrimur: Ita quoque de naturali dejectus statu, lethales sæpè inducit tragædias, varias noxiasque expertus metamorphoses. Patet hinc sanguinem, qui toto ingravidationis & gestationis tempore in utero materno fuit collectus, lochiorumque venit nomine, excluso fœtu, excernendum, cum amplius ejusdem nullus existat usus. Hic si subsistat, *lochia*, dicta non rite fluant, sed p. n. retineantur, eorundemque *stagnatio* oboriatur, unica dolorum post partum causa esse possunt, ut tradit *Sylv. Prax. Med. lib. 3. cap. 9. §. 25. 26. 27. Forestus lib. 28. obs. 81. scribit*: Antequam Puerperæ rectè purgentur, id est, lochia decenter ei inculpatè fluant, dolores post partum sæpè iis oboriuntur. Facit hûc quoque *vasorum angustia*, quam hujus retentionis & stagnationis matrem esse asserunt, *Jonston. Syntagm. Univ. Med. lib. 5. Tit. XII. cap. III. Art. III. & Sennert. prax. lib. IV. part. II. sect. VII. cap. V. Riverius prax. med. lib. 15. cap. 27.* Undè sanguis hîc, qui merè excrementitius dicendus, quasi incarceratus, *σάσις* concipit, grumescit, ejusdemque tota immutatur crasis, quare putrescit non raro & acrimoniam concipit, qua conceptâ uterum, quò includitur, vellicat, & irritationem cum tristi sensatione excitat, difficilemq; egerendi con-

na-

natum procreat. Cujus rei testes laudare possumus *Lud. Mercat. lib. 4. d. morb. mul. cap. 8. Sylv. l. c. §. 20. 21. Rod. à Castro de morb. mul. Sennert. prax. lib. 4. part. II. sect. VII. cap. V. Timæum à Guldenslee lib. 4. cas. medicinal. cas. 38.* Fit quoque sæpè talismodi sanguinis grumescencia ab humoribus admixtis acidis, acribus & impuris, vid. *Sennert. l. c.* qui jam tum ipsi infunt sanguini à chylo vitioso ac \ominus bus acidis inquinato, vel ~~saor~~ præfente emergentes, seseque explicantes. Testatur prælaudatus *Sylvius prax. med. lib. 3. cap. 3.* acidum sanguini communicatum, eundem coagulare & corrumpere, quod & per mechanicam patet, acida coagulare & concretioni ansam præbere, vid. *Bernh. Swalve de Acido & alcali. Excell. Wedel. de medicamentorum facultatibus p. 14.*

Ipse etiam *Galenus lib. 2. aph. comm. 17.* de sanguinis acore ait, quod in vinis acefcentibus accidit; tale quoddam & sanguinis alteratione contingere, demonstraturus sanguinem, alterari posse ab acido contracto. Tandem per acida sanguini juncta, eundem non tantum coagulari & in grumos cogi, sed & coagulatione hac cum circulo sanguinis præpedito flammulam vitalem extinguere posse, patet experimentis Anatomicis factis in canibus, ubi apertâ venâ & acido infuso non diu post, canis extinctus fuit.

Altero loco concurrit ipsius *uteri læsio*, si nempe ad partum festinandum gravidæ urgentur, quod tamen disuadet omnium plenissimo consensu *Sylvius l. c. p. 558. §. 14.* Item vehementior *secundinarum avulsio*, undè solutio continui manifesta in utero læso oritur, quam inter alia refert *Hertodt Crocologia p. 229.* ruptisque sic valis uteri, tam lochia, quam sanguis sincerus per laceras excoriatasque uteri partes fluunt, easdemque rodunt & mordicant, undè dolores uteri & egerendi conatus difficiliore se sistunt.

Tertiò hîc peccant *Flatūs*, tum in utero, tum intestinis contenti, quorum mentionem facit *Mercatus l. c. Rod. à Castro lib. 4. de morb. mul. cap. 9. Sylvius & alii*; quos tamen cum ex errore diætæ & ciborum flatulentorum usu proveniant, sub causa-

rum mediatarum remotiorum ordine lustrabimus. *Quartò* huc quoque referenda *uteri læsa conformatio*: si enim, quod sæpè fit, uterus ex laborioso partu in aliquam ventris partem irruat, ut legi meretur apud *Mercatum lib. 4. cap. 8.* quod & *Hippocrates* affirmat *Lib. II. de morb. mul. & 5. Aph. 47.* uterum puerperæ aliquando ad coxendicem aut lateris inanitatem inclinare. Tandem memorandus est *vitiosus fœtus positus*, quod si enim fiat, ut embryo ossi sacro validius ac firmius infideat, ibidem utero macula contrahitur, secundinæ fiunt vitiatæ, quæ videntur tenacius adhærentes & ex parte putridæ & lividæ, certè tunc fortiores sequi post partum dolores, eò in locò molestos satis, multiplici experienciâ edoctus affirmat *Excell. D. Præses, Patronus & Præceptor meus ad urnam colendus.*

§. VIII.

Visis iis, quæ p. n. accidere possunt, offerunt se nobis causæ, quas *naturales* dicunt, & quidem *Temperamentum*; quod pituitosum accusare non dubitamus. Cum enim corpus aliquo modo ad ferositates abundantes & vitiosas, imò ipsam *cachymiam* inclinet, non difficile est, ut inde varii excrementitii & pravi exsurgant succi, quibus *MSea* deturpatur, & quasi lentorem concipit; quo acquisito, in puerperis lochiorum remora & varia dolorum genera exsurgere possunt. Non injustè item *temperamentum Melancholicum* huc trahi posset, siquidem & suum *Μελανχολικόν* addere valet. Cum enim frigidum & siccum existat, particulæq; serosæ blandæ deficient, & ad acorem fixitatemq; tendentes reperiantur, sanguis huiusce abundans partibus inquinatur; unde fit, quò minùs lochiorum flumen crassioribus vîstribusq; scatens atomis, fluxu consueto excerni, sed subsistere & variorum cruciatuum autor evadere debeat.

§. IX.

Succedit *Ætas*, quæ tùm juvenilis, tùm ad senium vergens suo modo concurrit; *Juvenilis* equidem ansam doloribus & torminibus huiusce præbere valet, tùm ob vias arctiores & talismo-

lismodi excretionibus nondum vel minus adfuetas, tum quoque ob teneritudinem & habitum corporis delicatiorem, sensumque magis exquisitum, ut sentit *Sylvius prax. med. l. c. §. 12.* Controvertunt Autores, an primiparis dolores post partum contingant? quod quidam negantes, adducunt, à primo partu uterum minus adhuc esse defatigatum, uteri os adhuc esse arctius, quò minus aër externus admitti possit, sicque primiparas ab hisce absolvere audent torminibus. Rectissime verò hanc refutat sententiam laudatus *Rod. à Castro l. c.* innuens: æquè graviter primiparas, ac eas, quæ sæpius peperere hisce torminibus divexari, testantibus multis exemplis; imò & fœminas ac virgines citra puerperium ante mensium eruptionem, analogis vel similibus cruciari torminibus, cum idem adsit subiectum, eademque appareant causæ, quæ hoc locò sunt viarum angustia & sanguinis grumescencia. Cui & nostrum adjicimus calculum *Sylvii* non minus, quàm *Roderici Castrensis* amplexantes sententiam.

Deindè adultioribus & ad senium accedentibus à contrario potius evenire putamus, quod tum uteri archeus labefactatus nimis, tum sanguis reddatur impurior, corpusque totum magis siccescat, quare ad statum p. n. ultrò velut disponuntur.

§. X.

De *annâ tempore* res clara est: *hyemali* nempe puerperas ad dolores modò dictos procliviores esse, cum facilior auræ frigida admissio improvisa fieri possit; imò hyems gravidis si non exitialis, sæpè tamen inimica sit, ut scribit *Hippocr. 3. Aphor. 12.* Par ratio prostat de *Regione*, quæ vel frigidior, sanguinem magis disponit ad coagulationem seu grumescenciam; si verò calidior sanguis facilè effervesceat & acrimoniâ concipit, quâ mediante uteri irritatio procedere potest.

§. XI.

Ex ordine causarum *Nonnaturalium*, quæ medium inter naturales & p. n. tenent, *Aër* imprimis considerandus. Pri-

marium cum aër sit vitæ succendiculum & juxta Sendivogium occultus vitæ cibus, sine quo vix momentum vivere possumus, improporcionatè tamen, intempestivè & loco, cui ineptus, admissus, maximas inferre solet noxas, sicque dolores post partum miseras torquentes puerperas non raro auræ infelicis existunt foetus, quod omnes ferè denunciant Præetici. Est enim tum nervoso generi frigidior aër insensibilissimus *5. aphor. 17. 18. 20.* tum imprimis utero incongruus; hinc ad eundem hiantem adhuc à partu excluso delatus, refrigerando finistros edit effectus. Vocamus in testimonium *Sylvium*, qui loco supra sæpiùs citato, non solum aëris extra admissi frigore, sed & linteorum justò frigidiorum improvidâ applicatione dolorum horum causam subministrari notat. Cui consentit *Platerus Prax. Med. de Dolor. ventr. t. 2. p. 531.* asserens: Dolores post partum oriuntur ab externo præcipuè aere, si statim, postquam foetus prodiit, aër admittatur; dum enim uteri internum orificium adhuc amplum & apertum est, sicque hæc loca non benè muniantur, uterusque sensim stringatur, in uterum irrumpens, eumque implens, dilatatum alioquin ex partu, non solum distendendo, sed & refrigerando afficit. Hæc *Platerus*. Tale quoque apud *Sennert. Prax. lib. 4. p. 464.* legimus, dum primam dolorum uterinorum causam aërem externum constituit. Ex dictis itaque clarum est, aërem non solum membranofam nervosamque irritare substantiam, sed quoque poros claudere, sanguinem intus cohibere & humores incrassare, notum. Undè tum per se, tum sanguinem ad grumescentiam disponendo nocere solet.

§. XII.

Cibus & Potus an noxam præbeant, examinatâ diætâ, gestationis tempore adhibitâ innotescet. Cum enim gravidis ex metu vel abortûs, vel navorum in foetum derivationis, sæpè aliquid concedendum, hinc tum picantes absurda & inconvenientia ingerant, tum frigidos, *δυσπέντες*, & mali succi cibos devorent, sicque ventriculo infirmiori existente, nec ritè concoquente, vitium quoque in tertiâ coctione minimè corrigendum,

dum experiri necesse habent. Hanc in rem eleganter *Sylvius Prax. Med. lib. 3. cap. 9. §. 15.* scribit: Si nempe mulieres gravidæ indulgeant nimium alimentis crassioris & glutinosioris substantiæ, propter quam sanguis productus similis evadat, arctius secundinas utero necti, & consequenter, ut nos concludimus, lochia glutinosa & crassiora reddi, ut postea in excretionem non leve faciant negotium. Cumulatis enim in chylo particulis viscidioribus, lentis, sanguis quoque evadit similis, quò postea tum circulatio, tum ipsa retardatur & depravatur nutritio, omniumque partium læduntur actiones. Porro si duros, flatulentos imprimis amet puerpera cibos, ex leguminibus, oleraceis, fructibus horæis, quæ omnia gravidarum excedunt diætam, vitioso & flatulento inde emergente chylo, tanquam sanguinis primo rudimento, reliqua MSea flatulentis hisce inquinatur, quæ cum hæc ad omnes detruduntur partes, ut postea delatis ad uterum & vicina viscera, dolores tum in utero, tum intestinis crassis utero admodum vicinis, distendentes & inflantes excitentur. Ejusmodi eventum periculi plenum ab esumelonum, uvarum & malorum persicorum adducit *Loyse Bourgois lib. obstet. part. 2. cap. 39. & 40.* Merito itidem hic locum invenit observatio *Excell. D. Wedelii, Patroni ac Præceptoris mei quovis tempore sanctè colendi*, dum vocatus est ad puerperam nobilem dolores post partum tribus diebus Dominicis recurrentes expertam ab esu cancrorum. Quale quid & nos observavimus ante biennium, fœminam primariam puerperam dolores talismodi passam quoties usu carnis delectaretur, ut sæpè convulsivi motus subsequi viderentur.

De Potu eadem potest esse ratio, quatenus cerevisia non benè fermentata nec defecata, plus justò vel dulcior, vel crassior, vel ad aciditatem vergens in usum vocatur. Haud dissimile iudicium ferendum de *Vini* potu, si gravida indulserit potui vini acidioris & recrementis & reis feculentiisque aliis adhuc scatentis. *Mustum* imprimis solum sufficit ex ratione dictâ ad producendas flatulentias, obstructions & humorum in corpore contentorum alterationem, quas & alias inde noxas re-

sultare notavit *Sennert. Prax. Med. lib. 3. part. 2. sect. 2. cap. 7*

§. XIII.

Motus & quies five excedant, five deficient, hinc notam merentur. Uti enim motus nimius abortus pater facile existere potest; ita quies nimia, ut & vita sedentaria teste *Roder. à Castro de Nat. Mul. lib. 4.* partum gignit difficilem, variis stipatum fatellitibus, secundinæ utero firmitus annectit, & humores intra involucra fœtus contentas viscosiores reddit; Quinimò per nimiam quietem spiritus obnubilantur, ac iisdem torpor inducitur, qui sæpè pro causa sufficit, ut humiditates excrementitiæ & superflue per debitam transpirationem non excutiantur. Accedente verò motu nimio, sanguis magis rarefit, ut hinc meritò reprehendantur puerperæ, si inquietudini & jectigationibus se dedant, cum etenim hoc modo corpus variè volutetur, in aprico est, tum ipsum uterum, qui nondum ad se rediit & meritò fentinæ malorum nomen reportat, tum lochia retenta in excretionem suâ facile impediri, indeque noxam redundare, imò sæpè febres & alios morbos, qui ex sanguinis perturbatione oriri solent, initium sumere posse.

§. XIV.

Eadem ferè de *Somno ac Vigiliis* prædicari possunt. *Somnus* enim ut aliàs totius corporis audit refectionem, ita excedens præprimis gravidis & puerperis hoc loco infaustus est, siquidem corpus frigidum, impurum & variis humoribus prævis obnoxium reddit; hinc sanguis hisce quisquiliis & ferofitatibus abundans, torpescit, viscedinem consequitur, & ad varias noxas inferendas aptatur. De *Vigiliis* verò contrarius patet modus; cum somnus humiditates cumulet, ita vigiliæ etiam alibiles maximeque necessarias absumunt, unde ferro blando dum sanguis privatur, corpus vel exsiccat, vel particule æreæ incenduntur, ut inde haud difficile sanguinis resultet acrimonia, quæ sola pro dolorum hætenus à nobis explicatorum fomite non indignè, ut ex suprâ allatis patescit, haberi potest. Adde, quod in statu magis aucto juxta *7. aph. Hipp. 18.* vigilias convulsiones & deliria, habituato ut plurimum malo, sequantur.

§. XV. Ani-

§. XV.

Animi Pathemata adducimus, memores affectibus animi tantam inesse potestatem, ut non solum corpus variè immutare; sed & ipsos spiritus animales vel in motum citare, vel retardare & obnubilare valeant. Quod, ut reliqua sicco pede prætereamus, iram, tristitiam & terrorem efficere patet, unde sæpè abortûs causa emergit, sanguinisque circulus impeditur, quare & ad productionem dolorum post partum promptè (quod pluribus demonstrari posset observationibus) facere valent. Vid. *Rod. à Castro l.c.*

§. XVI.

Denique *Excreta & Retenta* locum sibi poscunt. Si enim alvus tempore ingravidationis fuerit magis adstricta, nec voto, ceu decet, respondeat, biliosa saburra colligitur, ut inde tum sanguinis turbetur massa, tum flatuum augeatur proventus. Excreta verò nimia, si diarrhœa gravidis & puerperis superveniat, calorem depauperant, simulque uterum ad excretionem stimulant.

§. XVII.

Differentiam dolorum post partum *triplicem* metimur. (1.) *ratione subjecti* seu loci affecti. Ubi vel veros, vel nothos deprehendimus. Veri proinde sunt, qui propriè uterum affligunt, ideoque inferiora magis infestant: Nothi verò, qui exacerbationes suas exferunt in intestina, mesenterium, partesque connexas; adde, quod superiora petant, tensiones circa umbilicum producant, similesque ferè iis sint doloribus, quos patiuntur mulieres in menstruorum difficultate. Vid. *Sennert. Prax. lib. 4.* (2.) *ratione temporis*; alii enim sunt continui, alii recurrentes & recidivantes. Hi ut plurimum à sanguinis crassitie & grumositate ortum ducunt, ut vult prælaudatus *Sennertus l.c.* Cui quoque assentitur *Rod. à Castro loc. cit. Riverius Prax. Med. lib. 15. cap. 23.* dum enim sanguis exitum molitur, crassior factus vasorum tensione dolores parit, qui cessant post excretionem, donec alius eadem tendat egressurus sanguis, præsertim si causa externa vel error diætæ superveniat, qualem observationem

Excell.

Excell. Wedelii de doloribus post partum recurrentibus §.12. adduximus. (3.) *ratione causarum variarum* ; de quibus hâc vice nihil dicturi benevolum lectorem tum ad causarum explicationem, tum signorum diductionem ablegamus. (4.) *ratione aliorum morborum*, ita à mensium difficultate discrepant, quod non consvetô menstruali tempore, nec omnibus, sed solis puerperis magis vel minus dispositis, contingant.

§. XVIII.

Diagnosin adducturi, illam desumimus (1.) à *loco affecto*, quem statuimus infimum ventrem, eâ præprimis regione, ubi uterum situatum novimus, quod & exprimere conatur *Rod. à Castro* loco sæpius allegato, dum ait: Acerbissimos dolores post partum in ventre inferiori & à renibus in mollitudinem & inguina puerperis succrescere, quale quoque *Plateri* de doloribus ventris p.520. & 521. est effatum, qui dolorem post partum observavit circa lumbos, dorsum & infimum ventrem. Dolores verò si sint *nothi*, de quibus §.17. tensio magis adest circa hypochondria & umbilicum, ubi intestina à flatibus contentis cruciantur. vid. *Sennert.* p.465. quos tamen juxta Excellentissimi Viri mentem puerperæ ipsæ facile discernere possunt. (2.) à *tempore*; Si existant spurii, quâvis occasione, quovisque tempore, ubi copiosior flatuum est proventus, invadere valent; non autem si veri, nisi post partum. Quo tempore postea dolores ejusmodi duorum aut trium, sæpe etiam plurium (si majus malum subfit) dierum spatio per intervalla exacerbantur, sic, ut fœminæ anhelitum comprimant, & videantur quasi alium ejicere velle fœtum. Addit *prælaudatus Sennertus* pro majori signorum explicatione, habere se dolores post partum non aliter ac partûs dolores veros, imò esse dolores partus continuatos, ubi aliquis quoque fœtum expellendi conatus puerperas circa imum ventrem adhuc cruciat. Ex quibus signa & ratione loci affecti, & temporis clara censemus. (3.) à *causis*. Variante verò causâ, variant signa & phænomena, quæ cum plurima sæpe sint, tum ad lectum ægræ provocamus, tum ad Autorum lectiones benevolum Lectorem remittimus. Hanc
legi

legi meretur *Mercatus, Sennert. Rod. à Castro, Sylvius & alii.* Nos flatus solummodò hìc visuri Riverii sequimur diagnòsin, si, *inquietis*, à flatu dolor oriatur, ille magis est vagus, & plures ventris partes occupat, ut & rugitus in abdomine observantur.

§. XIX.

Prognosis verò investiganda variat pro ægræ statu, viribus & morbi impetuositate. Quæritur hìc: *An dolores post partum aliquando sint salutare?* Sunt sanè nonnulli, qui affirmant, eosdem proficuos accidere, quatenus nempe lochia retenta ad exitum invitentur, siquidem patet post dolores exantlatos exire sanguinis partem. Quorsum forsan respexit *Riverius*, qui dolores talismodi non periculosos, molestos tamen prædicat. Aliis *negativa* placet sententia noxias eosdem putantes puerperis, cum hâc ratione uterus & partes vicinæ laceffitæ ac irritatæ plenarium non rarò consensum post se trahant, ut non tantum inquietudo, febris, convulsiones imò mors ipsa sequatur. *Nostra* si expetatur mens, utramque, si rectè spectetur, sententiam suo modo stare posse pronunciamus. Incongruum enim foret, dolores hosce tanquam maximè noxios nullo habito respectu proclamare, cum indè non leve puerperis sæpe emanet commodum, si lochiorum urgeat copia; Si verò status puerperæ aliud svadeat, fluxus vel fiat diuturnior, vel doloribus increbescantibus inhibeatur, ita ut citra excretionem persistant dolores, tantum abest, ut tales non noxios dicamus, (de quibus noster sermo,) cum præstò sit inquietudo, virium dejectio, convulsivi motus, deliria cum febre & alia symptomata, quibus vires puerperæ impares existunt. Hinc optimè quadrat illud *Sylvianum*, citò nempe ferendum auxilium, si enim negligantur in principio, exitum sequi dubium.

§. XX.

Curationi demùm manum admoveere necessarium est, quam tripliciter instituendam putamus; (1.) vias aperiendo & laxando; (2.) sanguinem congruatum attenuando &

temperando ; (3.) flatus discutiendo & removendo. Hæc ut in actum deducamus, præsidia ex triplici fonte depromenda venient. Esto igitur ex *Fonte Chirurgico Venæ sectio*, quam, si vires & reliquæ circumstantiæ concesserint, sanguisque tam quantitate & qualitate, quam motu peccet, in saphænâ institui poterit, undè eandem ac in mensium obstructione promittimus medelam, siquidem hæc ratione sanguis ventilatur, grumescencia tollitur, motusque restituitur ordinarius, de quo venæsectionis usu passim vid. Autores. Non desunt verò, qui præsidium hoc in dubium vocare audent, crepantes, post partum eximiam sanguinis excerni quantitatem, nullamque Venæsectionis adesse indicationem, imò remedium esse huic statui planè improporcionatum & incongruum; quibus tamen respondemus, non promiscuè sanguinis detractionem esse svadendam, nec si lochia ritè fluant; sed cum hæc substiterint & dolorum à nobis explicatorum causa existant, quæ non commodiori auxilio, nisi V.S. junctis simul sanguinem resolventibus, tolli potest. Quod si ægra abhorreat, *cucurbitulae* femoribus & furis applicentur, pro aliquali derivatione & sanguinis *σπινος* solutione. Majorem tamen opem ferent, *Frictiones*, quæ si pannis asperis fiant, sanguinis & feri subsistentis excitatur motus, quò sic lochiorum promoveatur profluvium & dolorum cessent insultus. Addit *Riverius Prax. Med. lib. 15. cap. 23. Ligaturas*, ut venter puerperæ fasciâ leniter constringatur, quò uterus subsideat, & lochiorum hæc ratione promoveatur effluxus.

§. XXI.

Ex *Pharmaceuticis* producimus aperientia, paregorica, carminativa, nervina, quibus omne punctum quàm facillimè absolvi potest. *Purgantibus* nullus. ferè hîc concedi posse videtur locus, nisi sint *mitiora*, nec non alvi diutina adstrictio excrementorumque duriorum retentio urgeat. Convenient *Digestiva* ex cremor. & *crystall.* ♀, ♀ *Plat. pulv. ex crystall.* ♀, ♀ *Plat. & C. A. c. O. anis. fœniculi.* His jungatur, *decoct. fol. senn. c. prunis*

prunis vel passulis. R J purgans, R Fri, elix. PP. purgans, sirup. de cichorio c. rhabarb. de manna laxativus, rosar. solutivus, anima rhabarb. rhabarbarum ipsum, aloe rosata, violata. &c. A degustatione plane abstinendum; eorum verò loco Clysteribus tutò uti possumus, quibus adhibitis, cum loco & excernendis sint aptiores, majorem concipimus operationis spem, si concinnentur ex herb. s. emoll. artemis. meliss. puleg. beton. flor. chamomill. rom. vel vulg. sambuc. melilot. rad. altheæ, fœnicul. lil. alb. sem. lini fœnigr. agar. troch. S. olivar. amygdal. lil. alb. verbasci, hyperic. ruta, chamomill. lini &c. Forestus lib. 28. Obser. 81. clysterem adhibet ex decoct. flor. chamom. & artemisæ c. jure galli. Huic similem describit Timæus à Guldē. Klee lib. 4. cas. 30. Enemata enim tum uterinis, tum cephalicis & carminativis maritata, insigne emolumentum afferunt, tum alvum lubricando, feces educendo, tum uterum ad excretionem stimulando. Quicquid namque in utero est, intestinorum vicinitate lenitur & attenuatum facilius expellitur, ac viæ patentiores redduntur.

§. XXII.

Diaphoretica in usum vocata, attenuant, incidunt, grumositatem sanguinis resolvunt, eundemque fluxilem reddunt, ut commodius è corpore relegari possit. Huic scopo imprimis satisfacit ∇ *chærefolii*, cui insignes passim tribuuntur virtutes. Quæcunque igitur sanguinis grumos disjiciunt, locum hîc merentur; v.g. S. *diaph. corall. rubr. lap. S. bezoar. min. S. na, flor. A, pulv. absorb. Wedel. succinata. Mist. simpl. S. baec. samb. ceras. nigr. bezoard. theriacal. R bezoar. Mich. Rolf. Wedel. pulv. bezoard. Sennert. Rolf. ∇ sigill. unicorn. fossil. Decoct. herb. thee. Si à secundinarum adnascentiâ dolores orti, dentur inter alia *borax Venet. ess. croc. & myrrh. juscula probè crocata, secundina humana, myrrha &c.* Item pro ratione *sternutatoria*.*

§. XXIII.

Optimè instar omnium se gerere solent *Carminativa* uterinis mixta, quæ in doloribus post partum insignia & nobilif-

fima sunt, siquidem prospiciunt tam malo intestina vexanti, quam uterum solantur, qualia sunt ~ *cort. citri & aurant; zedoar. theriacal. menthae essentificatus. pulv. zedoar. cum vino*, quem miris extollit laudibus *Simon. Pauli Q. B. p. 227. spec. diacymini, diagalang. bals. embryonum, Apopl. ▽ carminat. Schræd. Dorncrell. ▽ meliss. puleg. ess. carminat. Wedel. rorismar. succini, castor. elix. uterin. Theriaca denique ipsa, philonium rom.* Videndum tamen, ne calidioribus sæpius propinatis massam sanguineam incendamus, indeque feбри ansam demus. Similiter naturæ suppetias ferunt *Pulv. epilept. March. castor. asa foetid. ʒ nat. & ʒii, spec. diamb. diamosch. magist. corall. perlar. specif. cephal. &c.*

Secundina humana preparata imprimis h. l. æstimanda, quæ ferè *specifici* nomine militare potest, hæcque ad miraculum dolores post partum oborientes sedantur. Vid. *La Commare del Scipione Mercurio p. 606.* Si status urgeat gravior, malum fit contumax & dolor propinata eludat ad *Opiata* confugiendum, dando vel *magist. anod. vel pilul. anod. vel laud. opiat. &c.*

§. XXIV.

Topica tandem svademus, siquidem his interdum plus proficimus, quam internis pluribus, quod & hîc per experientiam notissimum est. Adhibenda itaque erunt, *decocta, fots, unguenta, cataplasmata, sacculi & demum emplastra.* Si venter induretur ex obstructione flatulentâ, *fol. rorismar. coqu. in vino & calidè applicentur*, quod ceu euporiston inter alios commendat *Crato Consil. 40. lib. 8. Forëstus* magnâ cum laude usus est solâ *flor. chamomill. decoctione* in cerevisiâ, quâ dolores felicissimè expugnavit. Huic fini infervire possunt omnia emollientia & carminativa, ut *fol. flor. & rad. alth. herb. matricar. meliss. calamenth. fol. laur. malvæ, verbasci, branc. urfin. flor. lil. alb. meliloti, sem. lini, hyosc. carv. cumin. dauci, anisi. Lac.* Ex quibus adornari possunt tum decocta, tum fots & cataplasmata. vid. *Roder. à Castro p. 469. & Sennert. l. c. p. 466.* Linimenta & Unguenta constituunt, *axungia humana, castor. ʒ scorp. castor. hyper. chamomill. rom. rutæ, hyosc. linar. verbasci, ungu. dialth. butyrum insulsum. ʒ anis.*

anis. St. cumin. carvi, quæ tamen refractè misceantur. *Omentum vervecis* calidum modò ex animali detractum ventri applicetur; quod nec hîc sine fructu futurum scribitur. *Emplastra* admoveantur de *melilot. bacc. lauri. Crato consil. lib. 5. consil. 40. seqq.* habet: Si tormina sentiantur à partu, fiat emplastrum de *Galbano* & inungatur venter \odot de *matricaria*, ventriq̃ue imponatur, *It. ova ad duritiem* coquantur & *vitelli* contundantur cum \odot *nu- cum* in formâ emplastri applicentur. Prodest & *cepas tostas cum vitello ovi* contundere, admistâ etiam *althea*. Hactenùs ille. *Riverius* parat emplastrum ex *Galbano, asa fætida* & *pauillo moschi*. Quæ cum facîle imitanda, adduxisse sufficiat. *Sacculi* ex *fol. & flor. carminativis, cephalicis, uterinis*, quæ vid. in præcedentibus, adornentur, additâ *rad. zedoar. angelic. summ. lupuli, bacc. laur. juniper. sem. anis. fœnicul. carvi, cumini. anthophyll.* & aliis, quæ apud Autores videri possunt, nec opus eorundem longam apponere seriem. Talismodi sacculi parati, calidè abdomini priùs linimentis & unguentis probe illito applicentur, quibus sæpe tota curatio perficitur; Cùm paregoricis hîc tum sanguis congrumatus, tum flatus in utero & intestinis stabulantes disjici possint, undè insperatus sæpe cernitur cum emolumento effectus.


§. XXV.

Addimus ultimò *Dietam*; Ut verò paucis plurima complectamur, provocamus ad gravidarum regimen, quod cæteris paribus meritò hîc facit. Vitandus enim est Δ *crassus, nebulosus, frigidus & impurus*, unde puerpera lecto & hypocausto calefacto sit contenta, intempestivamque aëris studiose caveat admissionem, ne recidivæ incurrat metum. *Cibus* sit *tenuis, boni succi & facilis eoctu*; nec *frigidus, ut pisces*; nec facile fermentescibilis, ut *fructus horarii*, quò inde chylus laudabilis & sanguis emergat purus, à visciditatibus liber. Par ratio est de *Potu*, qui caveatur *frigidus*, sitque bene fermentatus, beneque defecatus. *Vinum* in primis novum & mustum fugiat, ne fermentatio à particulis variis admixtis excitetur, indeque malum contrahatur. Quò pertinent flatulenta alia summopere præcavenda.

Somnus

*Somnus & Vigilia moderamine certo gaudeant. Ad quietem potius inclinet, quam motum fortio- rem. Animi pathematibus subjecta non sit. Excretorum debite se habeat depositio, ne inde mali seges propullulet. Pro preservatione porro sumatur cochlear i. vel ij ∇ *embryon. cinam. cyd. borag. morsuli confortantes, conf. diamarg* quam *Forestu* laudat, & alia *analeptica* tam alimentosa, quam medicamentosa, quæ pro reducendis viribus apta sunt. Sic speramus agram non solum feliciter curari, sed & à recidivâ studiose præservari posse pro quo beneficio*

SUMMUS LAUDETUR ARCHIATER.

 **P**es erat emissio vitales pon-
dere in auras
corpus in antiquum pos-
se redire decus.

Ast repetunt ignes, repetunt per-
sæpe dolores,

Ut facibus videas, denuo mem-
bra quati. (quietem,

Tu reparas fessis magnâ cum laude
unde Tibi Phœbus præmia opi-
ma parat.

*Clariss. Dn. Doctorando auspiciatissimos studio-
rum honores ac successus precor*

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

Tor-



*Orminibus diris liberata,
puerpera dicit:*

HIC DOLOR ex partu sit TI-
BI dives HONOR.

Quod etiam ex animo vovet

P R Æ S E S.



Maxima spes patriæ, non in-
fima gloria Hygeiæ,
GERBERE, Aonii pulchra
corona chori,

Ingenii documenta Tui dum ponis
acuti (Tibi.

In cathedra Medica, gratulor, ecce!
Pressa Tui, Dilecte, legas vestigia
Patris, (feras.

Atque Tuæ Patriæ commoda mille

*Quibus Nobiliss. atq; Clariss. Dno Doctorando, Fau-
tori atque Amico honoratissimo, inquilino ha-
bitenus suo & convictori exoptatissimo, de egre-
gio hocce Inaugurali specimine animitus gra-
tulari voluit debuit*

Joh. Hadrianus Slevogtius, Med.D.

Hoc

^{24.}
Hoc unico

Nobilissimo atque Clarissimo

DN. CHRISTIANO FRI-
DERICO GERBERO,

ZITTANO,

Medicinæ Doctorando,

Amico honoratissimo, Fautori dilecto,
publicè pro Licentia disputanti:

D*At Galenus opes, dant præmia digna labores;
Is dabit & lætus præmia pulchra feres.*

gratificari & voluit & debuit

Johannes Fridericus Glynk / U. J. Ddus,
& Advoc. Juratus.



Uod felix, faustumque TIBI sit & utile,
FRATER,

Quod Patri lætum sit, Patriæque tuæ!

Scande Galenorum nostrorum Rostra,
capillum

Cingere quò lauru Phœbus Apollo queat.

Sic ego, *maeste*, canam, summos gratabor honores,

Quos animi dotes promeruère tui.

*Hisce paucis Fratri suo dilectissimo
applaudere debuit*

Johannes Fridericus Gerberus, LL. Stud.